



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Festo Purificationis B. Mariæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ,

*Suscepimus DEVS misericordiam tuam in medio**Templi tui. Psal. 47. b.*

De triplici misericordia.

S E R M O I.

*Prima Christi
processio.**Ratio proces-
sionis hodierna
insinuatur.**Secunda Chri-
sti processio.**Psal. 47. b**Copia misera-
tionis divine.*

Hodie templi Dominum, in templum Domini Virgo Mater inducit: Joseph quoque sistit Domino non suum, sed eius Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit justus quem expectabat, Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primò hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exultatione universæ terræ in omni loco & ab omni gente celebraretur. Nec sanè mirum si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit, omnes Justi, omnes Sancti, omnes fuere perfecti. Sed nunquid hos tantum salvabis Domine? Crescat corpus, crescat & miseratio. Homines & jumenta salvabis Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam Deus. In secunda jam processione præeunt turbæ, turbæ sequuntur, nec virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur: nec ipsos qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo: non dedignatur inquam, sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processionis suæ gloria non censebit indignos. Magis verò & ipsam quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam & prærogavit antiquis.

David Rex & Propheta exultavit ut videret diem istum, vidit & gavisus est. Alioquin si non viderat, unde psallebat: *Suscepimus*, inquit, *Deus misericordiam tuam in medio templi tui?* Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeonem. *Suscepimus* & nos, & quicumque sunt præordinati ad vitam. Siquidem Christus heri & hodie & in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, & non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hinc exhibis anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam

quidam habent. Unde hoc? Nempe quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. *Et lux, inquit b, in tenebris lucet, & tenebra eum non comprehenderunt.* Ac si dicat. Et in plateis derivantur aquæ, & alienus non bibit ex eis, & misericordia in medio templi est, & nec tamen accedunt quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat, ô miseri, quem vos nescitis, ut morientes, ante quam videritis Christum Dominum, non in pace dimittamini: sed potius rapiamini à rugientibus preparatis ad elcam.

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui c. Longè est hæc gratiarum actio à voce illa gementis d: *Domine in celo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Quid enim? Videritne tibi in medio fuisse misericordia: cum apud solos cœligenas spiritus haberetur? At ubi sanè minoratus est Christus paulominus ab Angelis, factusque est Dei & hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum, quæ in cœlis sunt, & quæ super terram: ex hoc planè jam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos natura filii iræ, sed consequuti sumus misericordiam. Cuius iræ filii? & quam misericordiam consequuti? Nempe filii ignorantia, ignavia, captivitatis: & consequuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris seductæ excæcaverat nos: molli- ties viri abstracti & illecti à propria concupiscentia enervaverat nos: malitia diaboli expositos justè à Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primùm quidem viæ civitatis habitaculi prorsus ignari; deinde imbecilles & ignavi, ut etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertia: postremò captivi sub pessimo crudelissimoque tyranno, ut licet prudentes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. Nunquid non misericordia & miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certè si jam salvi sumus ab hac triplici ira per Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo Patre, & justitia & sanctificatio & redemptio: quanta nobis vigilantia opus est, dilectissimi, ne forte (quod absit) inveniantur nostra novissima peiora prioribus, si dentò contingat iram incendere, utpote qui non natura jam, sed propria voluntate filii iræ sumus?

Amplectamur itaque misericordiam quam in medio templi suscepimus, & cum beata Anna non dimoveamur à templo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos,* ait Apostolus e. Propè est hæc misericordia, prope est verbum in ore vestro, & in corde vestro. Denique in cordibus vestris per fidem habitat Christus. Hoc templum eius, & hæc sedes eius: nisi fortè excidit vobis, quoniam *anima iusti sedes sapien-*

b Ioan. 1. a

c Psal. 47. b

d Psal. 35. b

Triplicem misericordiam consequuti sumus, contra triplicem misericordiam.

V. NOTAS.

tia est. Quod ergò frequenter, imò & semper, admonere cupio fratres meos, obsecro & nunc, ambulemus non secundum carnem in carne, ne displiceamus DEO. Non simus amici huius sæculi, ne Dei constituamur inimici. Resistamus ergo diabolo, & fugiet à nobis, ut liberè jam ambulemus in spiritu, & in corde sit conversatio nostra. Siquidem *corpus quod corrumpitur, aggravat, & enervat & effoeminat animam, & terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit* ^f, ut ad cœlestia non asurgat. Unde & *sapientia huius mundi stultitia est apud Deum* ^g, & à maligno qui superatur, ei & servus addicitur. Porrò in corde suscipitur misericordia, & in corde habitat Christus: in corde loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.

f Sap. 9. a
g 1. Cor. 3. d

IN PURIFICATIONE B. MARIE,

S E R M O II.

De ordine & modo processionis Christi in templum.

GRATIAS Redemptori nostro, qui tam copiosè prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantia suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulò antè Nativitate, Circumcisione, & apparitione eius, festus hodie nobis Oblationis eius dies illuxit. Hodie namque sistitur Creatori terræ fructus sublimis, hodie placibilis & Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus expectatur. Offerunt Joseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon & Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. Quia ergo festivam hodie & nos ipsi præter cæterarum consuetudinem solemnitatum acturi sumus processionem, non inutile arbitror modum ipsius & ordinem diligentius intueri. Processuri sumus bini & bini candelas habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui priùs in Ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus. Ad hæc futuri sunt in processione nostra novissimi primi, & primi novissimi: & cantabimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Processionis hodie in Ecclesiis usitata ritus & mysteria tropologicè explicat.

Cur bini procedant.

a Marc. 6. a

Meritò sanè bini & bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos à Salvatore discipulos Evangelia sacra testantur ^h. Turbat processionem si quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti fervare unitatem spiritus in vinculo pacis. Jam verò sicut non est bonum esse

In Purificatione B. Mariæ, Sermo III. 147

esse hominem solum, sic in conspectu Domini vacuum apparere, est prohibitum ^b. Cum enim arguantur ociositatis ipsi quoque quos nemo conduxit ^c: qui jam conducti sunt, si ociosi inventi fuerint, quid merentur? *Fides quippe sine operibus mortua est* ^d. Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, & in desiderio cordis: ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est, ne fortè tepidos nos evomere incipiat, qui in Evangelio loquitur dicens ^e: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Hic planè sacer & benedictus est ignis, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, & cui benedicitur in Ecclesiis, sicut scriptum est ^f: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino.* Habet enim etiam adversarius noster, utpote perversus divinorum operum æmulator, habet, inquam, ignem suum & ipse, ignem concupiscentiæ carnalis, ignem invidiæ & ambitionis, quem salvator in nobis non accendere sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in divino offerre præsumperit sacrificio, etiam si patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua.

^b Exod. 23. c
^c Matt. 20. a

^d Iac. b. 2. d
Quid ignis sceleris ardentis significent.
^e Luc. 12. f
Ignis benedictus.
^f Plal. 67. c

Ignis malignus quis.

Porro super hæc quæ de sociali vita & fraterna dilectione, de bonis operibus & fervore sancto dicta sunt: humilitatis virtus maxima, maximeque necessaria est, ut honore præveniamus invicem: nec modò priores, sed & ipsos juniores sibi quisque præponat: quæ nimirum humilitatis perfectio est, & justitiæ plenitudo. Et quoniam hilarem datorem diligit Deus, & fructus charitatis est gaudium in Spiritu sancto; cantemus, ut dictum est, in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Cantemus Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit. In quibus omnibus si quis forsitan proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, noverit quisquis huiusmodi est, in statione non in processione se esse, imo vero & in regressione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porro profectus noster in eo consistit (ut sapius me dixisse memini) ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius: ut imperfectum nostrum divinæ misericordiæ obtutibus jugiter exponamus.

2. Cor. 9. b

Non proficere, est desicere.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ,

S E R M O III.

De Puero, MARIÆ & Ioseph.

Purificationem beatæ MARIÆ virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moyse facta est ^a, transactis à Nativitate Domini

Levit. 12. a

Sermone S. Bernardi,

T

quadra-

quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, & octavo die circumcideretur puer: dehinc absolutioni & purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ huius initio liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia diciturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiam crimen incurrere, & idcirco præmiserit, suscepto semine? Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quod lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Hieremiam: *Quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum? Mulier, inquit^b, circumdabit virum.* Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem: sed intra viscera intacta & integra virum claudet: ita sane ut intrante & exeunte Domino, juxta alium Prophetam^c, porta orientalis clausa jugiter perseveret.

Putas ergo non poterat moveri animus eius & dicere. Quid mihi opus Purificatione? Cur abstinenceam ab ingressu templi, cuius uterus neficiens virum, templum factum est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperit Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato. Verè ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat Circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, DEO placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, & preciosissimam hostiam, de qua ipse ait^d: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sed oblatio ista, Fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia in redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius.

Istud

Matrem Domini non suis se legi purif. ebnoxiam.

**b*Hier. 31. d

**c*Ezech. 44. a

*d*Matt. 3. d

*Oblationis ho-
diernæ, & ob-
lationis in
cruce collatio.*

In Purificatione B. Mariæ, Serm. III. 149

Istud enim tempore Nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis : de utroque tamen potes accipere quod Propheta prædixit ^c : *Oblatus est quia ipse voluit.* Nam & modò oblatuſ est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit : & in cruce nihilominus oblatuſ est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine : quia voluntariè oblatuſ es pro mea salute, non pro tua necessitate.

Sed quid, Fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam preciosiorem quam habuit, nimirum, qua preciosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es qui teipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico : utinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longèque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat, sed jam nunc, *Vivo ego,* dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat* ^f. *f* Ezech. 18.g
Non vult Dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Sed in oblatione illa Domini tres fuisse leguntur, & in oblatione nostra tria nihilominus à Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joseph sponsus Matris Domini, cuius filius putabatur : fuit & ipsa virgo Mater, & puer Jesus qui offerebatur. Sit ergo & in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginalis, sit in conscientia simplicitas, & humilitas puerilis, Amen.

IN SEPTUAGESIMA,
S E R M O I.

Magna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini ^a, *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Nec ignoro quod alio in loco dicit Scriptura ^b : *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia* : sed multo aliter sunt ex eo, qui secundum beati Joannis Evangelium, *non ex voluntate carnis nati sunt, sed ex Deo* ^c. Unde & invenies ab eodem Joanne in epistola sua scriptum ^d : *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cælestis conservat illum.* ^c Ioan. 1.b
^d 1. Ioan. 5. d*

T 2

Non